DE MYRIOPHYLLO PELAGICO, ALIAQUE MARINA PLANTULA ANONYMA AD...

Gian Girolamo Zannichelli



Illustrissime & Excellentissime
DOMINE.



Aturæ opificium quò quis feliciori conatu contemplatur, eum semper magis admirari, minùs verò stupere, nemo meliùs TE callet Illustrissime & Excellentissime Domine, cui nihil in Rebus Literariis ignotum, nihil imperceptum: quique adeò tùm Conditionis, tùm Virtutum ac Doctrinæ eminens præstantia, ut invicem sibi decus tribuant, & recipiant. Non enim

est quid admirabile, quia ignoretur, sed quia superet Admirantis cognitionem: propterea cum in quolibet Naturæ partu summa illa, nullisque definita limitibus & luceat & lateat ÆTERNI CONDITORIS Sapientia; idcirco quo plus cognoscitur, plura exhibentur cognoscenda: adeoque Humanus Intellectus Lumine illo undequaque in immensum circumfusus, dum intimiores latebras pervestigat, inque novam semper incidit sciendi materiem, minus stupet quia minus ignorat; magis admiratur quia magis cognoscit. Cum itaque jam ab ineunte ætate ejusmodi mihi vitæ institutum proposuerim, ut Physici studii necessario exigat ministerium, ideo plures evenit, ut hujus veritatis ceperim experimentum, dum Rerum quantunlibet vulgarium essentiam & causas, aut speculatione, aut opere assequi conor. Hinc in dies sciendi cupiditas magis exardescit, atque hinc est, cur de illo quo me dignaris ad TE accessu tantopere mihi gratuler: cum nunquam, nisi pro mei Intellectûs tenuitate doctior à TE recedam. TU meos qualescumque labores & re-

gis,

gis, & excitas: Scientiisque omnigenis optimè excultus, meam qua TE prosequor venerationem ubere cognitionum lucro rependis. Hinc succensus, ne tantùm alieno vivam, & ipse aliquid novi in dies, utcumque molior. Placet novitas utpote Scientiæ acquisitæ argumentum.

Natura enim nos instituit non doctos, sed doctrinæ capaces: ideòque ignorasse quod cognoscitur, necessitas est conditionis; sed scivisse quod ignorabatur, industria est ingenii. Non igitur TIBI erunt injucunda, quæ observatu digna ex duabus in mari nascentibus Plantis nuper excerpsi: nec aspernaberis quia sensuum potiùs experimentum, quàm Intellectûs sapiant acumen. Optimè enim novisti, & pluriès inculcasti, quanti sit in Physica momenti Sensibilium rerum sensibilis perceptio, adeò ut sæpiùs Ratiocinium erret, quia sensus vel est falsus, vel minùs instructus. Utinam parciores essemus in opinando, diligentiores verò in rerum sensibilitate ad exactam veritatis trutinam revocanda! Quid mirum si interdum Assertiones euanescunt in Chymeras, ac

Pharmaca abeunt in Pulmenta, & quandoque etiam in Venena? En igitur TIBI duo ex genere Herbarum in Mari nascentium Vegetabilia, nec ea ex Americano Oceano conquisita, aut ex Arabiæ oris inter Uniones eruta: sed nostri Maris, nostri Sinûs Adriatici partus sunt. Nimiùm concedimus Rebus peregrinis; nimis jam superbiunt Indiæ, aliæque Barbaræ Regiones, dum nihil nobis in preno est, nisi quod ipsæ dederint. Suas ubique opes Natura dispersit, & maternâ sanè ac sapientissimâ providentiâ; ut nimirùm hujusmodi mutuâ rerum communicatione, Cosmicæ istius Machinæ multiplicitas si non ad unitatis, saltem ad unionis coalesceret perfectionem.

Cum itaque Anno superiori, multa jam hyeme, Lauretum proficisci constituissem, Augustissimum illud Deiparæ Virginis Sacrarium veneraturus, Piscatoriam ex majoribus Navem conscendi. Relicto hoc nostro Veneto Litore, eousque secunda provecti sumus navigatione, quoad procul Anconitano tractu Mare ad centum & quinquaginta pedum surgeret altitudinem.

nem. Tum Ventorum placiditate illectus, cum jam nox ingruisset, sed faveret Luna, piscationem Nautis indixi, ea cupiditate, ut non palato, sed potiùs menti pararem aliquid deliciarum. Illi utpotè omnibus quæ usui erant instructi, capessunt impigrè opus. Expediuntur retia, de more projiciuntur, longoque tractu Mari ejusmodi nectuntur angustiæ, ut undis transitus non concedatur, nisi relicto socio pisce. Cæteris demùm administratis, ad prædam vel intercipiendam, vel evellendam, vel asportandam; quidquid intus collectum fuerat mihi exhibetur. Tùm secretis Piscibus, eisque Coquo amandatis, reliqua omnia in proximam lucem seponi jussi. Cum verò matutinus Sol tenebras depulisset, impatientiùs in res illas acervatim commixtas incubui. Subridebant Nautæ, ego verò eis tacitus irridebam, quia quæ ipsis Maris quisquiliæ mihi Naturæ Thesauri fiebant. Videre erat Ovariorum, Pisciculorum, Algarum, Crustaceorum, aliorumque tum Vegetabilium, tum Animantium seù jam efformatorum, seù adhuc sub Embrionica figuratione semilatentium

confusam congeriem : qua adeò delectatus sum, ut penè mei oblitus, spatiari crederem per Augusta ipsius Naturæ Penetralia . Quòcumque ferebar, Increati Opificis occurrebant vestigia Quotquot Naturam investigant , aliquid supra Naturam intelligere , & venerari necesse est : adeò ut ipsi quoque Gentiles, Ægyptii in Iside, Græci in Cybele, seu, ut aliis placet , in Minerva Naturam coluerint , sed fabulis involutam Dum enim Deum in Deos dispergunt, superstitionis monstra sibi effingunt . Vel unius Herbeculæ genesis , inexaustæ Sapientiæ argumentum est Illius est opus ut si ex semine projectò nascatur , in eo expressa sobolis producendæ habeatur Idea ; si sponte , ut vis seminalis coalescat : si ex radice , ut in quolibet ejus frustulo tota vigeat virtus productiva Ut per fibrarum tubulos succum ebibat nutritium, ut Æthere interfluente foveatur : ut radicibus hæreat , in ramulos diffundatur , folusculis ornetur , in flores erumpat , ac de propriæ speciei propagatione sollicita , tota in vim seminalem contrahatur . Ut iis viribus interdum polleat,

qui-

quibus, ne propriæ pudeat fragilitatis, in Corpora ipsa Animalia, salutis necessque jus habeat. Notiora sunt hæc, & pleraque sensibus obvia. At verò ex intimiori illius Essentia divitiæ Naturæ profluunt tàm abundè, ut tot Philosophantium mentes expleant simul, & defatigent. Sed redeo ad meas ex Adriatico sinu erutas opesculas. Singularum descriptio non est mei præsentis instituti, alioquin aut Argumentum brevitate indigestum degeneraret in Abortum, aut Epistola laxior abiret in Volumen. Duo tantùm ut præmonui seligam ad Eruditionis incrementum, nè meritò nihil dixisse arguar, si non nisi ab aliis dicta repeterem, ac obtruderem. Liceat mihi tamen de Marino præfari Fungo, seù potiùs Fucum Fungularem appellare velimus, cujus exigit elegantia, ut peculiari mentione secernatur ex pluribus Alcyoniis, nec non marinis (ut vocant) Mentulis, & aliis, quæ mihi tunc occurrerunt, curiosissimis, Fructus præcipuè terrestres referentibus, ut proinde à Piscatoribus Pepones, Mala Citrea, Mala Aurantia, Pyra, Poma, congruisque demum indigen-

tur nominibus, juxta figuram quam præseferunt, adeò bene expressam, ut etiam ad interiores partes imitatio pervadat. Et jucundâ sanè admiratione perfusus sum, cum duabus ejusmodi Ficubus sectis, eadem mihi granula licèt aliquanto majora exhibuerunt, quibus nostrates ferè scatent, sed de his, si tempus suppetet, & Physiologicam meditor Inquisitionem, & Historiam. Interim ne laudati Fungi oblivíscar, ejus Caput vel Pileus prominens, unius unciæ pollebat crassitie, bipartitò verò sectus, trium circiter unciarum diametrum dabat. Crus, ejusdem erat cum suo Capite crassitie, & utrinsque altitudo æquabat solius Capitis longitudinem. Colore subflavescebat prasino, sed aliquandiu aerem passus in viridem cessit: adeòque eum esse Ferrantis Imperati versicolorem Fungum quisque sibi persuaserit. Undique lævis & politus pulpam exhibebat carnosam, ac Quernis Fungis, cum satis maturuerint, parùm absimilem, quæ tamen filamentis constaret quibusdam, & compressa, spongiæ ad instar, humorem aqueum evomeret. Eò usque denique illum adamavi, ut cum

alits

aliis quibusdam manusculum reputaverim non indignum Domino Burghetto, prò illius eximia in Physicis rebus peritia; quique, & ingenii acumine, & judicii prudentia non nisi ad scientiarum arcana factus videtur. Jam verò alterius ex duabus propositis Plantis, quem TIBI subjicio Iconismum attentiùs intueri ne dedigneris, *at Tabula Prima*. Herbam videbis, cujus hucusque nemo meminerit; quod sciam, adeòque anonymam, Alcyonio innatam, actis inter illius, quibus ubique scatet rimulas radicibus. Folia videbis brevi pedunculo innixa, rotunda, expolita, crassiuscula, leviterque sinuosa; quæque ad Tussilaginem Alpinam secundam Clusii, vel ad Mathæoli Assarinam accedant. Earum plura ex unica protuberant radice, colore viridi, eoque satis vivido. Sapotem, odoremque habet cum cæteris marinis Plantis communem: quapropter Fucis marinis annumerandam, & ex supradictis optime describi posse censeo.

De ejus natura, & medico usu, sicuti cæteris Fucis parem credo, ita nihil peculiarius statuere ausim, donec

plenior inquisitio, & analysis præcedant, & maximè subsequatur experimentum. Agitur de Herba ignota, vel saltem inobservata, adeòque an floreat, quomodo propagetur, & cætera, in quæ se se explicat phænomena, exponere nequeo. Rerum præsertim vegetabilium, quæ in profundo Pelago nascuntur qualemcunque partam cognitionem plus casui debemus, quàm nostræ industriæ: sunt etenim alieni Elementi, nec nostros subeunt Oculos, nisi vi raptæ, adeòque utplurimum vel corruptæ, vel immaturæ, vel jam marcescentes. Multiplicia obstant impedimenta, ne ipsarum vitalem periodum, viresque per successivas, ut opus est, observationes deprehendere possimus; & Mare nimium propriæ tenax jurisdictionis, nostros conatus plerunque eludit, & quandoque etiam procellis coercet.

Ad alteram proinde, quam TUÆ Eruditioni destinavi, progredior Plantulam, pluribus profectò discutiendis parem, tùm ex sui structura sanè mirabili, tùm quia in Botanicum censum jam relatam. Eam igitur non novam, sed novis observationibus mi- nimè

nimè indignam in subjecta Icone contemplatus, *ut Tabula Secunda*, statim Corallinæ speciem agnosces: quæque Myriophyllum Pelagicum, Neptuni Palma; Penna marina; Coralloides Pennata subhirsuta prò diversa Auctorum ratione diversimodè dicitur. Ne quis tamen hujusmodi nominum varietate offensus hæreat Tyro, dabit mihi Tua Humanitas, ut accuratior præcedat descriptio.

E Marino Solo, ubi plerunque profundiùs demergitur, Plantula hæc radicibus satis firmata, ultra sesquipedalem surgit altitudinem. Tollitur primò in Trunculum, qui deinceps per intervalla sobolescit in Ramulos. Omnibus eadem substantia, nempe lignosa, eadem quoque crassities, & figura, quippe qua triangulum referatur penè Isosceles: duo etenim latera sunt ferè æqualia, basis autem arctiùs protensa. Angulorum vertices aliqua inflantur rotunditate, adeo ut Hyperbolicam quodammodo imitentur peripheriam, *ut eadem Tabula Secunda Litera A:* superficies verò alicubi tumentior, alicubi depressior, & ideò inæqualis: quæ ex diligenti Microsco-

pii

pii Autopsia Tubulis quibusdam in longum procurrentibus, simulque congestis, leviter fulcatur. Eisdem demum est Color, recentibus quidem cinereus, sed diutiùs extra aquam asservatis obscurior. Nudus est Trunculus, nudi sunt pariter Ramuli in sui inferiori, ac dimidia circiter parte. Sed in superiori ad trianguli Basim, Sulculo quodam concavo in longum æqualiter finduntur; eoque intermedio, hinc inde alternatim erumpunt Filamenta oblonga sed tenuissima, erecta sed quæ postea arescentia curventur, delicatissima sed quæ avellere tentanti nonnihil obluctentur, mollissima sed quæ pluribus intersectionibus, ceu denticulis quibusdam ad latus gradatim incisis Seræ ad instar rigeant. Color, cum ex undis emergunt, argenteus, sed qui paulatim postea in subflavum pallorem deficiat. Ea denique ipsorum est figura, ea per Ramulos dispositio, ut aliqualiter Palmarum Ramos, longè verò expressiùs imitentur Anserum Pennas, *ut eadem Tabula Secunda Litera C.* Ad faciliorem captum en TIBI unum ex hujusmodi Filamentis Micro-

Microſcopio examinatum, *ut ibidem Litera D.* Sed eſt & aliud, unde Plantulæ iſtius venuſtas augeatur; exiliores nimirum humilioreſque alii Ramuli, qui ſuperioribus jam deſcriptis adnati, in parva hinc inde Brachiola, & hæc in alia minora ſeſe ſpargunt Abietum in modum, *ut ibidem Litera B.* Nihil in ipſis lignoſi, nihil nudi, ſed Urticulis quibuſdam nectuntur vaſculorum ad inſtar efformatis, qui gradatim protuberantes, perpetuo ſe ſe invicem excipiunt ordine, ſed adeò minuti, ut oculum pene effugiant, & primo intuitu ornatus quidam, cinerei perpetuò coloris, Filicibus ſimilis appareat, & ad Dryopterem propiùs accedat. Quapropter Ramulos hos Muſcoſos, priores verò Pennatos appellare non abs re fuerit. Unum interim ex ipſorum Brachiolis, quale à Microſcopio mihi redditum fuit, exhibeo, *ut in Litera E & F.* Sed de Ramulis hiſce muſcoſis non levis me tenuit ſuſpenſum dubitatio; ſintne pars Plantæ, an verius quid adventitium. Ut quid accidentale crederem, pluribus movebar; adeò ut à Nutrice potiùs, quàm à Matre

Matre haurirent alimentum. Sic, ut alia taceam, in Polypodio fieri videmus, & in Visco — *quod non sua seminat Arbor*. Gravi tamen angebar difficultate, quia ibidem totius Plantulæ semen confici, ipsorumque vasculis putabam condi posse. Sed postquam in Pennatis Ramulis proprium semen deprehendi, tunc mehercle qualibet exclusa hæsitatione, mea mihi placuit, mentique altiùs insedit opinio; nec aliud esse totiès memoratos Ramulos, nisi Raii, & Plukenetii Muscum Marinum argutè denticulatum, sentio.

Hanc veritatem debeo Domino Petro Antonio Michaeli, Ingenii non minùs accurati, quam expoliti. Ille utpote Botannicæ Facultatis inter cætera peritissimus hac de re Literis consultus, partem superiorem Pennati Ramuli ad Gargani Montis Litus ejecti mihi misit, ubi ejus filamentis sese exhibent admixta semina; ut ex Icone curiosa profectò, & jucunda, *Tabula Tertia Litera A & B*. Ex Sulculo illo, quo pennata discerni filamenta dictum est, quidam erumpunt quasi capilli: iique alternatim dispositi subru-

ſubruſum amplectuntur ſemen, vix oculo, niſi Microſcopium accedat, perceptibile. Hujus proinde ope Iconem delineatam accipito, eadem *Tabula Tertia Litera C, D & E.* Ubi pariter ſeparatim tum Semen ipſum, *Litera K & L*, tum Seminis cuſtodem Capillum, *Litera F* contemplaberis, prout Oculum afficiunt vel nudum, vel pluries recenſito Dioptrico munitum Inſtrumento. Ex eodem quoque videre eſt prodeuntes ſulculo rotundiores quaſdam, & ipſas tenuiſſimas Campanulas, candidas, exilique innixas pedunculo. Has Plantulæ flores monopetalos, & campaniformes, an potiùs quid aliud adnatum ſtatuendas, alii mecum ambigunt, donec ex accuratiori diſcuſſione certius habeatur judicium. Iconem quapropter adnecto pari ſtudio confectam, *eadem Tabula Tertia, Litera G, H & I.*

Interim quo jure Corallinam hanc Pennatam nonnulli voluerint infloriferam adeòque ſine ſemine, ipſi videant: mihi ſatis ſit innuere, ex ea medicamentum parari adverſus venenum, quo Animalia marina per noxias ſpinarum puncturas in noſtram ſæviunt

perni-

perniciem. Hoc autem habebitur, si Plantulæ eidem nonnihil in partes concisæ, tantum olei ex maturis olivis expressi affundatur, ut tota illi subjaceat. Hæc deinde lento torquenda igne tandiu coquatur donec Planta arefiat, tum ipsa rejiciatur, liquor verò asservetur. Cum necessitas ad usum excitaverit, ligniculum ipsi priùs immersum, admoto igne, ut flammam concipiat, curato, ex eoque unam, pluresve ferventis ejusdem olei guttas, statim in vulnus à Pisce quopiam venenato inflictum, decidere sinito. Hoc a Sene Piscatore repetitâ edoctò experientiâ accepi. Multum præterea confert ad unius drachmæ pondus epota hæc Pennata Corallina ad tetram Vermium luem, ex Puerorum præcipuè corporibus profligandam. Stomachicam etiam esse autumo. Sed plura prosequi supersedeo, malo enim esse parcior, quàm minus cautus. Mihi tamen non deero, ut & uberiora & certiora assequar. Quod autem levisculis istis TE longiùs detinuerim, excusationem non adornabo, ne prolixitatis angeatur molestia; imò nec pœnitet. si enim nonnisi TUO digna

IN-


INGENIO dare vellem , nihil unquam darem . Si quid autem non omninò improbandum invenies , TUO foveas Patrocinio ; utque eodem diutiùs frui possim, Nestoris TIBI precor Annos . Vale .















Tab. III.
A
B
C
E
F
K
D
G
H
I
L